

1570

Antonius quoque Columna consentiens, in eamdem sentientiam Joannem Andream Auriā pertraxit.

*christiani  
duces in Cy-  
prum profi-  
cisci decer-  
munt.*

Profectione in Cyprium decreta, ad Sitiam, olim Heracleam vocatam, classes convenere, ubi de maturando itinere cum a ducibus agitaretur, eadem in Auriā animo aversio assurgebat: *Anni tempore, Venetarum triremium imbecillitate, exili rerum prospere gerendarum spe se deterri: omnino ante octobris initium in occidentem vela daturum, neque regiam classem, cui propriæ quoque ipsius divitiae, decusque niterentur, ingruentibus tempestatibus objecturum.* Zannius omnes moras discutere, adhortari, flagitareque pergebat, ne consiliorum perplexitate rerum adhuc præclare confiendarum occasiones corrumperentur. Zannio adhærens Columna, Auriā suadebat, ne difficillimo tempore Venetis deesset, ne egregiam, & christiana reipublicæ operam navandi, & sui nominis gloriam propagandi opportunitatem elabi sineret; nihil, eo abeunte, vel ad Cypri regnum obsidione levandum, vel ad hostis audaciam contundendam confici posse. Quid porro pertimesceret? an navigandi pericula? At, prospero vento flante, octo aut decem dierum spacio confici iter posse. An hostium potentiam? terra, marique distractas eorum vires? Porro id non suæ virtutis, non illius disciplinae esse, qua ab incunabulis ferre imbutus fuerat: magis præstare, suique Regis amplitudinem decere, fortiter cum hoste configendo classem fortunæ, periculisque objectare, quam pugnam detrectando incolumem, sed ingloriam in occidentem abducere. His permotus, ea demum conditione in aliorum sententiam Auria descendit, ut a nostris nautici panis copia sibi affatim præberetur, atque in singulis Venetis triremibus centeni milites essent; quod, ipso classem lustrante, præstitutum est.

*Marcus  
Quirinus  
ad explora-  
dum in Cy-  
prum missus  
ad classem  
regreditur.*

Marcus interea Quirinus, qui ad Turcarum res explorandas missus fuerat, decimo octavo kal. octobris regressus, e speculatoria hostium biremi cognovisse pertulit, adhuc Leucosiam stare, quotidie a nostris ingentem Turcarum numerum confici, qui, navibus, ac myoparonibus in triremium supplementum exarmatis, illisque ad centum ac quinquaginta redactis, christianorum adventu vehementer solicitabantur. Hoc nuntio confirmatis animis, cunctis ad iter habendum

ex-